



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Reverendi Patris Martini Stredonij Soc: Jesu

Schwertfer, Wenzel

Pragæ, 1673

Caput XV. Gradus in litteris & religione. quibusve munijs fuerit occupatus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43132

CAPVT XV.

Gradus in Litteris & Religione.
quibúſve munijs fuerit occupatus.



IN Sanctuario quodam privato hæc
Virtus luxit sibi, ac domesticis hac-
tenus, usq; dum ad publicum prove-
heretur. factus Sacerdos Anno 1620.
ad Agni Paschalis ferias, sicut ampliores in se
ignes è Carbunculo illo Divino quotidianæ Ho-
stia (quam Sacerdos sacrosanctè immolabat)
exfuscitavit, ità populo, virtutem in publicum
productam magis ac magis spectabilem fecit.
Applicatus mox à Majoribus ad Philosophiam
triennio legendã (triennio itidem intra cursum
Philosophicum & Theologicum Humaniora do-
cuit) adeo sapientiam illam naturalem magnifi-
cè tractavit, ut non tam humanam, quàm Di-
vinæ Sapientia subordinatum opus versaret,
ostenderétque discipulis, qualiter è conditis re-
bus earum Conditor glorificari, magnificèque
coli deberet. Duo ex illo specialiter hauriebant
Discipuli; æstimationem doctrinae ac virtutis;
quas velut ideam sibi positam in Cathedra illa Sa-
pientia suspiciebant, & constantem in ducendis
animis comitatem ac prudentiam veneraban-
tur.

M

tur.

tur. nullus unquam in gratiam reditus cum discipulis fuit, nullus in Professore vultus turbidior, non verbum quod tincturam aceti saperet.

Permeavit hæc virtutis & sapientiæ magna conjunctio ad aures usque Admodum Reverendi Patris Nostri Mutij Vitellefci Præpositi Generalis, qui præter Professorum Gradum collatum i. Novemb: 1624. dignum publico honore P. Martinum judicavit & non usitato stylo Societatis (nam alioquin intra septa Collegij hæc solennitas plerumque agi solet) sed publicè in Templo Salvatoris Pragæ ad S. Clementem, more institutòque Carolo-Ferdinandæ Universitatis Pragensis, Supremo Theologiæ Doctoratûs honore insigniri mandavit, eâ gratiâ præsentē, quam DEUS servo suo publicè superaddidit, ut plus Angelicâ suâ modestiâ, quàm triumpho reliquo Actui consueto, Universitatem & Pragam triurbem recreaverit, quod post 12. circiter Annos à promotione peractâ, ex Patribus nostris Actui præsentibus intellexi.

Mox tradendæ Theologiæ applicatus, incepit gloriosè ac feliciter splendorem illum Divinæ Sapientiæ è Pragensi Cathedra dilucidare. sed emenso brevi spatio, in modestiæ amores regredi decrevit, ultròque advenis ex Hispania Theologis, loco dato, Nissam ad Moralem prælegendam concessit. At non tam litteræ quàm
spiri-

spiritûs Magisterium Divina Providentia Martino destinabat. cujus modestiam è speciosis Cathedralis declinantem, ampliori honore, Regimine scilicet animarum illustrare voluit. Factus mox Rector Collegij, ità statim suam prudentiam & spiritum Sancti Fundatoris, quem membris suis inhalabat, Societati commendavit, ut præter modicam intercapedinem, quâ spiritui præerat in Collegio, non nisi cum vita Regimen finierit. Binis vicibus obiit munus Socij Provincialis; semel Provinciæ nomine missus in Urbem Procurator; bis rexit Domum Probationis Brunensem, bis Collegium Pragensè; semel Domui Professæ Præpositus, bis toti Provinciæ præfuit. eâ semper, ubique pietate, quæ omnes bonæ gubernationis partes animabat; eâ prudentiâ, quæ eum summis Viris parem faciebat; eâ sævitate ac mansuetudine, quæ indulgentissimum Patrem probabat; eâ fortitudine, cui DEUS nervos & auctoritatem addebat; eâ denique satisfactione, quæ inter Domesticos æquè ac Externos gratam ac sanctam ejus memoriam, magnúmque desiderium in benedictione reliquit.

Regendi munus auspicabatur semper à decemdiâ cum DEO per Exercitia, ut vocamus, congressu; progressum verò eâ temporis divisione, ut suas singulis actionibus præfixas

haberet horas, quas exactè servatas, solis gravioribus incidentibus, interrupit. Sed eâ, quod mirabamur, dexteritate munus agebat, ut nunquam specialiter occupatus, nullis angustijs temporis pressus, soli penè DEO vacare notaretur. agebantur interim & videbantur agi omnia tranquillè ac securè, providè ac nervosè, miris & inexpectatis successibus; licèt dispositiones & ordinationes ad primam speciem vel difficiles vel penè impossibiles putarentur, & solùm ab eventu bono comprobarentur. Dici poterat de illo, quod ad similitudinem de S. Isidoro intelleximus: Isidorus orabat, & Angelus arabat. Martinus orabat, & DEUS gubernabat. Suscepit fanè tota Provincia in ejus Regimine tam locali quàm Provinciali, nunquam satès laudatam (etiam à Visitatore Florentio Montmorentio) longanimitatem; in tolerandis subditorum defectibus & erratis, atque in ijs opportuno tempore corrigendis suavem fortitudinem: in rebus disponendis providentiam unde quaque circumspectam: in visitanda Domo & lustrandis Operariorum officinis sollicitudinem minimè anxiam: in secretis taciturnitatem: in consilijs dandis cum promptitudine soliditatem: in rebus Instituti nostri summam peritiam: erga Infirmos tam spiritu quàm corpore eximiam curam, & singularissimam quandam in obsequijs

quijs diurnis ac nocturnis charitatem. In negotijs ferius & indefessus fuit, ex quibus nullum aggrediebatur, quod non haberet funditus perspectum. Rationes verò quas dictabat ad negotij alicujus expeditionem, certæ erant ac solidæ, ac maturè ponderatæ: quibus per precetum proprias tum indictas alijs, à DEO impetrabat robur & firmamentum. hinc magnâ pollebat in rebus agendis energiâ, & nihil penè inchoabat, quod non ad optatum finem perduceret. Et quamvis huic Martino non defuerint intempestivi Censores Bricij, qui speculativè solùm ab eo geri multa sugillarent: fallebantur tamen evidenter, cùm ipse ità ordinaret faciendâ, dictarétque omnia, ut ab executione singulorum, amplissimâ quadam capacitate animi nusquam abesset; ac ità partes officij in subordinatos Officiales exoneraret, ut ipsi eum secum ubivis concurrere, & in effectus efficaciter influere, & ad qualvis etiam minutias descendere persentiscerent. Et licèt omnia summa, & verò etiam sibi appropriata in Regiminis laude obtinuerit, in certis tamen aliquid singularius patefecit, quod in particulari afferendum existimavimus.



M 3

CA-